4/2

ADVMBRATIO QVAESTIONIS

DE

CARMINVM THEOCRITEORVM

AD GENERA SVA REVOCATORVM

INDOLE AC VIRTVTIBVS

AVCTORE

HENR. CAROLO ABR. EICHSTAEDT

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

LIPSIAE 1794

IMPENSIS IOH. GODOFR. MVLLERI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ab eo inde tempore, quo viri docti ad illuſtranda poëſeos ſpatia vel ingenii ſolertiam, vel philoſophiae lucem, vel veterum poëtarum auctoritatem attulerunt, mira ſemper fuit, quum de univerſo bucolicorum carminum genere, tum de Theocriti idylliis, iudiciorum diſſenſio. Nam ut ſilentio mittam, quae in bucolicae poëſeos ſubtilius finiendae natura, ſalubriusque tractandae ratione noſtra haec aetas ſapienter novari vidit; de Theocriti carminibus tam diverſae prodierunt et in varias partes diffuſae ſententiae, ut veritas iam dudum diſputandi non tam ſubtilitate limata, quam ambiguitate limitata videretur. Quippe alii, qui in Theocrito ingenii poëtici ſummam vim et quaſi menſuram eluxiſſe putabant et conſtitiſſe, quam informatam animo perfectae pulcritudinis ſpeciem in eius carminibus expreſſam agnoverant, eam nunc diſertae orationis praeconio, nunc imitationis felicitate declaraverunt. Alii contra, qui a veterum auctoritate velut emancipati, ſuaeque tantum aetatis ingenio obſequuti, ex huius elegantia metiri Theocriti ſimplicitatem, ad eamque quaſi normam exigere inſtituerant, quum agreſtiores Syracuſani poëtae Muſas a recentioris ſaeculi guſtu ac moribus multum abhorrere deprehendiſſent, iniqua eum vituperatione affligere auſi ſunt. In hac tanta iudiciorum diſcrepantia et diſſidio,

Digitized by Google

mature exortus eſt exquiſitae vir eruditionis, DAN. HEINSIUS, qui paſtoritia Theocriti poëmata ad comoediae potius ſeu mimi ſpeciem, quam vel ad Virgilianarum eclogarum, vel ad recentiorum huius generis carminum ſimilitudinem accedere exiſtimaret. Quam ſententiam, a THO. WARTONO poſtea diductius explicatam firmatamque diligentius, illuſtriſſimus, Arethuſae auctor, FINKENSTEINIUS, Comes, ante hoc ferme quadriennium ita exornavit, ut differendi copia ſuam faceret, ſubtilitate ad perſuaſionis prope firmitatem adduceret. Nec vero defuerunt docti et intelligentes iudices, qui vehementer abhorrerent ab huius opinionis arbitrio, eam aut deferendam eſſe rati, aut multis modis refingendam. Quamquam, quod ego ſciam, ſingula eius momenta nondum ita ſunt excuſſa, ut vel ipſius elegantiae ſatisfactum, vel utilitati lectorum, qui Finkenſteiniani libri tamquam guſtatione initiati, ad Theocriti reliquias properant, plane conſultum videatur.

Sciſcitanti autem mihi ſaepe numero indagantique cauſſas, quae diſtraxiſſe acutiſſimos viros in tam diverſa viderentur, haec una maxime occurrit ratio, quod, quae carmina genere ſuo ac natura inter ſe differrent, non ſatis accurate diſtinxiſſent, et quae nonnullorum propria eſſet et peculiaris indoles, eamdem per nimiam ſive lectionis, ſive iudicii feſtinationem ad caetera transtuliſſent. Videbatur igitur ad indolem Theocriteorum carminum aperiundam eo potiſſimum pergendum tramite, ut, quae fuſa in editionibus et diſſipata iacent, ad certa quaedam genera, eaque ſingula ad claſſes ſuas ac veluti familias, argumentorum quidem diverſorum poëticaeque tractationis ratione habita, redigerentur, inter ſeque compararentur. Qualis quidem deſcriptionis quum haec ſit vis, ut lectorum ſtudia exiſtimatorumque iudicia eius auxilio dirigantur, poëtaeque cuncta et conſilia, et artificia optime

Digitized by Google

optime ſentiantur, eadem quoque ſalutaris omnino videatur neceſſe eſt.

Fuit aliquando, quum Beckii inprimis, Viri Celeberrimi ac de me meisque litterarum ſtudiis immortaliter meriti, auctoritate excitatus, de carminum Theocriteorum ad genera ſua revocatorum indole ac virtutibus aliquid ſcribere in animum inducerem. Quae res quum adhuc intra conſilii fines ſteterit: placuit nunc libelli, alio fortaſſis tempore elaborandi, ſpeciem aliquam et formam leviter adumbrare, ut per hanc publici colloquii opportunitatem de mea qualicunque huius rei exſequendae facultate doctorum virorum iudicia experirer, ac ſi qui forte alii diſſertationi contigerint aequi aeſtimatores, eorum admonitiones in uſum converterem. Sed quoniam nec certa poſſunt genera conſtitui, neque e ſingularum formarum artificio ingenium poëtae declarari, niſi ſuppoſita prius excluſeris et Theocriti nomen mentita carmina; iccirco etiam in his excutiendis operam meam volui eſſe occupatam. Rogatos autem cupio lectores, ut ne quid exſpectent, quod aut partibus ſuis ſit abſolutum, aut idoneis doctrinae exemplorumque praeſidiis firmatum, quippe qui non dubitaverim ipſa libelli inſcriptione profiteri, verſari omnem diſputationem in rei praeter modum amplae non perfectione, ſed conatu quodam atque adumbratione. Quod ſi quae delibata ſunt et in ſpeciminis huius exercitium collata, benigna ferre ſuffragia intellexero, totius inde laboris praeiudicium aliquod et omen mihi capere licebit; ſin ſecus omnia ceciderint, notationes animadverſionesque cenſorum efficient, ut iuvenilis conatus errorem obſequii facilitate compenſare, adhibitaque maiore, et lectionis aſſiduitate, et limae ſeveritate, de Theocrito meo melius aliquando mereri ſtudeam.

Digitized by Google

Seiunctis igitur cogitationeque ſeparatis, quae Theocrito temere attribuuntur, ſi complectamur animo genuina poëtae carmina, idylliorum, et ambiguo, et late patenti, nomine comprehenſa: facile erit, excuſſis ſingulorum argumentis, tribus ea generibus concludere. Alia enim in vita paſtorum, moribus et conditione variis modis adumbranda verſantur (Carmina Bvcolica); in aliis id agitur, ut mores, non paſtorum, ſed aliorum hominum, nec humanitatis exquiſitiore quodam cultu politorum, neque in fortunae conſtitutorum altiore quaſi faſtigio, ad veritatem exprimantur (Carmina Mimica); in aliis denique diverſa plane argumenta, variis tractata modis, lectori proponuntur (Carmina Varii Argvmenti).

Quae diſtributio carminum ſicut in promptu eſt omnibus [1]) faciliſque obſervatu, ita eadem ad cuiusvis generis, inprimis

1) Eamdem fere propoſuit Manso *in Nachtr. zu Sulzers* Th. Vol. I. P. I. p. 89. cuius ego in hac generum deſcriptione conſenſionem boni auſpicii gratia laetus commemoro. Illud multi iam obſervarunt, reperiri in Th. carminibus, quae nihil habeant naturae paſtoritiae. Sed in ſeiungendis his a caeterorum ſocietate vehementer fluctuarunt viri docti, quorum alii Servii (in prooem. in Virgil. eclog.) ambiguo iudicio in varias partes traherentur (v. Vossii I. P. III. 8. p. 34. Vavassor de L. D. p. 109. Heinsii Lect. Th. p. 293.), alii modo Virgilii auctoritatem, modo ſuae de bucolica poëſi formulae praeſcripta ſequerentur. v. Fabricii B. Gr. III. p. 776. ed. Harl. Romanum quidem eclogarum auctorem, mirabile eſt, bucolica carmina conflaſſe etiam e mimicis Theocriti, et ex aliis, quae ſatis mature, ut videtur, cum bucolicis coniuncta, in diverſo plane argumento verſarentur. Hinc prave ſaepe numero iudicatum eſt de Pharmaceutria Theocriti, a Virgilio ecl. VIII. ad imitationem vocata; hinc etiam factum eſt, ut Eraſtes, bucolicis carminibus male annumeratus, ab acutiſſimo viro (*Theor. d. Dichtungsart.* p. 74) tecta reprehenſione mulctaretur.

Digitized by Google

primis bucolici, naturam explicandam non ſufficit. Novam igitur nobis indagaturis viam, qua ſingulorum carminum dotes apertius agnoſcantur, eo maxime referendus videtur animus, ut, quo pectoris motu quaſi afflatus poëta ad ſcribendum acceſſerit, et quomodo ad conſilii, quod ſequutus eſt, diverſitatem ſponte ſeſe accommodarit carminum compoſitio orationisque forma et habitus, diligenter exquiramus. Duo haec quum attendimus, materiem, primum, elucentem in ſingulis, hoc eſt, ſententiarum notionumque in eamdem operis ſummam certo conſilio certaque lege iunctarum, variisque tractationis artificiis expreſſarum ſeriem (*Materie, oder die herrſchende Ideenreihe im Gedicht*), componendique rationem, ſeu interiorem carminum formam (*Form der Darſtellung*): licebit fortaſſe diſputationem a minutis anguſtisque concertationibus ad omnem vim varietatemque Theocriteorum carminum diiudicandam traducere.

I. CARMINA BVCOLICA.

In primo hoc carminum genere, quod bucolica complectitur, quia animum poëtae tum quum ingenii eum impetus ad res ſibi aliisque repraeſentandas tuliſſet, triplici modo videmus affectum; triplex omnino erit rerum exhibendarum ratio carminumque agnoſcenda materies. Sive enim rerum, e vita paſtoritia phantaſiae objectarum, vi ita fuit perculſus, ut ſenſa magis atque commotiones eloqui, quam res ac notiones, ſenſuum illorum procreatrices, deſcribere geſtiret (*mehr Empfindungsausdruck als Gegenſtandsdarſtellung lyriſche Bukolien*); ſive in res, quae dulcem animo motum attuliſſent, in-

tentus in iis deſcribendis exornandisque vim ingenii et rationem dicendi maxime expromſit, haud neglectis tamen iis, quae pectoris affectiones arguerent (*mehr Gegenſtandsdarſtellung als Empfindungsausdruck: beſchreibende Bukolien*); ſeu denique poſthabito ſenſuum exprimendorum artificio, quorum iſto temporis momento ſibi ne conſcius quidem erat, non niſi mores paſtorum exhibuit, orationisque miniſterio velut in conſpectu collocavit, (*bloſse Charakterdarſtellung ohne beſtimmten Empfindungsausdruck; mimiſche Bukolien.*)

Quae primae claſſis circumſcriptione comprehendi, bucolica carmina quum partim originem ſuam debeant vetuſtis Siculorum paſtorum canticis, quae non arte elaborata, ſed pleno de pectore hauſta, ex abundantia ſenſuum eorumdemque in alios transfundendorum cupiditate profluxiſſent, partim in exprimendis animi commotionibus maxime verſentur, ipſaque compoſitione ſua et externo habitu lyricam indolem ſpirent; iccirco non dubitavi lyricorum iis nomen impertire. Finitima iis ſunt, quae ad alteram claſſem revocavi. Cernitur enim in utrisque poëtae conſilium in eo, ut, quo ipſe humaniſſimae voluptatis ſenſu perfuſus, ad paſtorum vel cantus imitatione exprimendos, vel fortunas vitaeque eventa ſuaviter et cum ſenſu deſcribenda ſe dediſſet, eodem, veluti *συμπαθείᾳ* quadam, legentium animos imbueret. Sed materie, quam dixi, utraque carminum ſpecies aliquantum diverſa eſt. In quibus enim componendis poëta, phantaſiae ardore abreptus, ſenſa magis quam res cum conſcientia et repraeſentatione aliqua interna apprehendit, illorum materies notionibus continetur, phantaſiae ope provocatis et ad leges illius compoſitis; in iis contra quae ad rerum magis deſcriptionem quam ad effuſionem ſenſuum poëta voluit comparata eſſe, materiem efficiunt notiones, ea inter ſe iunctura copulatae, qua partes in toto,

Digitized by Google

aut res ſenſibus externis ac memoriae deinceps obvenientes, iuſtoque ſibi ordine ſuccedentes, invicem nexae reperiuntur.

Primae claſſi ſubieci threnum in Daphnidis mortem (I), *παρακλαυσίθηρον* paſtoris (III), carmina amoebaea (VIII), Cyclopis denique lamentationes (XI): quorum carminum in primo ſenſus regnat triſtitiae molliſſimus; in altero deſiderii amatorii affectus, quo duo paſtores flagrabant pari, per carmina amoeboea diffunditur; in caeteris varii illi fluctuantis animi motus, quibus amantes agitari ſolent, egregie exprimuntur. Omnino autem Theocritus in his idylliis ſuos ita declaravit ſenſus, non ut diſertis eos verbis enuntiaret lectoribusque proponeret, ſed ut res eo exhiberet modo, ex quo, quae illarum fuerit ratio ac vis in facultatem appetendi, quae in ſenſibus excitandis efficientia, planiſſime intelligeretur. Et quo facilius poëta paſtorum cantus inſinuaret animis legentium eosque in ſenſuum aliquam ſocietatem adduceret; nonnullis carminibus quosdam veluti prologos praefixit, quibus vel occaſionem cantandi narraret, vel locum actionis deſcriberet, vel alia traderet, quae neceſſaria ad animos praeparandos eſſe viderentur. Quae quidem exordia quum adventicia ſint idylliorum ornamenta cenſenda, quae ſuum quemdam habent in ſingulis colorem, nec poſſunt ad univerſi generis disputationem referri; equidem haud ſcio, an Longini (c. 33. p. 186. ed. Mori) de iis iudicium, ſi tamen illud Longini eſt (v. Toup. ad Long. p. 210), plus habeat argutae ſeveritatis in verbis, quam verae reprehenſionis in ſenſu.

Secundam bucolicorum carminum claſſem in duas diſpeſcere licet quaſi familias. Sive enim poëta res e vita paſtoritia petitas ita exhibuit, ut animum non acri quidem et vehementi incitatione commotum, at commotum tamen, oſtenderet, et

ad quos ſenſus alios vellet deſcribendo adducere, eosdem in ſeſe impreſſos eſſe declararet (VI, IX. X.); ſeu factum aliquod vitae domeſticae paſtoritiis quaſi floribus conſperſum, et ad carminis bucolici modum tractatum, cum ſenſu perſequutus eſt. Poſterioris generis unum reperio in Theocriteis exemplum, carmen VII., iuvenili, uti videtur, opera compoſitum. Quo carmine licet Theocritus, bucolicae poëſeos fines latius aperiens, novam videatur imitatoribus ſuis praeiſſe idylliorum condendorum formam, ad quam et variandam, et ornandam recentiorum criticorum atque poetarum [2]) ſtudia acervatim multa frequentaverunt: nemo tamen, qui indolem illius indagaturus, non tam rerum, quae tractantur, genus, quam rationis, ad quam eae digeſtae ſunt, leges et conſilium perpenderit, locum ei in hoc, quod poſui, carminum genere denegabit. Quicquid praeterea huic idyllio affuſum eſt elegantioris ornatus, id aut aetati poetae tribuendum, aut condonandum illius argumento eſt, quod ſic tractare Theocritus conſentaneum putavit, ut narratio rei parvae elaboratione perpolita orationisque illuſtriore commendatione ſuaviter influeret in animos legentium.

His ita expoſitis, quae ad deſcribendam partiendamque bucolicorum carminum primariam quaſi provinciam pertinere videbantur, reſtat, ut dotes illorum ac virtutes univerſe deſcribamus; quae ut ſunt lyricis, et iis, quae in deſcriptione cum ſenſu tractata verſantur, fere communes, ita commune erit officium cenſurae. Facile autem intelligitur, non habuiſſe haec carmina inventionem excogitationemque difficilem, quum argumenta, vel a vetuſtatae profecta, vel ab aequalium conſuetu-

2) v. Genest. Diss. de la poeſie paſtorale p. 320. Blankenburg. ad *Sulzers Theor. d. ſchön. Künſte* II. p. 594. ed. nov.

Digitized by Google

ſuetudine frequentata, ſponte ſeſe et perquam officioſe poëtae offerrent. Tanto magis in eo ſibi elaborandum Theocritus exiſtimavit, ut fingendis iis ac veſtiendis, quae rudia et inculta accepiſſet, aequalium ſtudio ſatisfaceret atque exſpectationi. Praeclare igitur et ad memoriam carminum paſtoritiorum, quae in Sicilia audiebantur [3]) incorrupte ſervandam providenter inſtituit, ut antiquam eorum indolem retineret, ſuavitatem artis quadam acceſſione augeret. Quemadmodum enim in univerſum canticorum formam deſcripſit elegantius, ad certam artis normam compoſuit, et tum canentium conditioni ac moribus, tum animis legentium leniter agitandis egregie accommodavit: ita in lyricis in primis [4]) verſus, quos intercalares vocant, non raro repetiit, intervallorum longorum ac brevium aequabili quadam varietate orationem diſtinxit, de induſtriaque, non ex inſidiis, ſed aperte ac palam in eo elaboravit, ut et in ſingulis verſibus diſponendis vinciendisque, et in omni orationis habitu verba verbis quaſi demenſa iungerentur, ac paria paribus reſponderent. Tum inſignem quidem removit ornatum ſucatique medicamenta candoris et ruboris omnia repulit; verum horridiorem ſimplicitatem modeſta quadam venuſtate ſic temperavit, ut eam modo ad varietatem deflecteret, modo promoveret ad elegantiam, laetisque rerum imaginibus colluſtraret. Orationem autem, iuvante dorici ſermonis recentioris nativa ſimplicitate, ita effinxit, nihil ut haberet inſolens, horri-

3) v. Grammaticorum Argum. praefixa ed. VALKENARIANAE ſecundae p. 3. Add. SCHWINBURNS *Reiſe durch beide Sicilien* 1. p. 478. RIEDESELS *Reiſe durch Sicilien* p. 175.

4) Admiſſa hac carminum diſtributione, lucem, niſi fallor, et firmamentum lucrabuntur, quae Arethuſae auctor p. 9. notavit. Apparebit etiam, qua arte, quove iure his carminibus reſtituenda ſit priſtina membrorum aequalitas.

Digitized by Google

horridum nihil, nihil effeminatum, ut caſta procederet, verecunda, virgo incorrupta quodam modo. Denique verſuum numeris, et ad aurium voluptatem exquiſite delectis, et in lyricis quidem carminibus [5]) quam vel in mimicis, vel in caeteris, conſtantius, uti mihi videtur, ſervatis, quaſi quamdam palaeſtram et extrema lineamenta orationi attulit.

Acceſſimus ad tertiam bucolicorum carminum claſſem, quorum materies pariter ſita eſt in notionibus, phantaſiae arbitrio junctis, ſed ad conſilium poëtae ſic accommodatis, ut non tam mentis exprimant ſenſa, quam effictos paſtorum mores, actionisque paſtoritiae quamdam imaginem oculis ſubiiciant. Quae carmina quoniam propinqua ſunt mimicis illis, quae univerſum conſtituunt et ſingulare Theocriteorum poëmatum genus, hac una fere in re ab iis disiuncta, quod non niſi paſtores in conſpectum prodire jubent: ideo faciendum putavi, ut et nomen mimicorum ad haec transferrem, et deſcriptionem ad utrumque genus aptarem. Sed hoc poſterius, quum oratio ad mimica pervenerit. Nunc illud praemonebo, quod cuivis attente legenti in oculos incurrit, haec carmina non modo diligentis diſpoſitionis laude carere, verum etiam ipſo verborum delectu quaſi ſubruſtico numerisque verſuum liberius fluentibus proſequi atque imitari ſimplicitatem paſtorum. Continetur autem haec poëmatum ſpecies partim continua quadam paſtorum, qui tamquam imparati ad dicendum aggrediuntur, confabulatione (IV), partim canticis amoebaeis, anguſtius dictis (V),

5) Ad haec referri maxime volo, quae de laevitate et harmonia Theocriteorum numerorum poſt alios multos (v. WARTONI Prol. ad Th. p. 36. VALCKEN. ep. ad Roever. p. 15.) egregie ſcripſit diſertus poetae et elegans interpres, IOH. HENR. VOSSIUS ad Virg. Geo. praef. p. XIX.

(V), quorum id eſt conſilium, ut mores canentium exprimant, ea vero lex, ut is, qui reſpondet, iisdem verſibus aut contrarium, aut majus et pulcrius aliquod dicat, aut ulla alia ratione ſimile quid ſubiiciat [6]). Eo enim diſtare haec carmina amoebaea reperiuntur ab iis, quae ad ſuperiores claſſes retulimus, quod non certa iis eſt et conſtans elaborandi ratio, ſed mira propoſita varietas argumentorum; quae ut ſunt tanquam ex improviſo nata, nec argutis patiuntur ingenioſisque interpretamentis ad ſententiarum aliquam perpetuitatem torqueri, ita morum effingendorum artificium mire quam adiuvant. Quoniam enim ab omnibus iis, quae aut ſenſus fortius pepûlerunt, aut menti ac phantaſiae obverſantur, neglecto naturali ſententiarum ordine ac vinculo, loquendi cantandique occaſio arceſſitur; ſponte intelligitur, plurimum hanc tractandi rationem valere ad indicanda rudiorum hominum ingenia, cogitandique et ſentiendi modum oculorum paene in conſpectu ponendum. Caeterum quamvis haec idyllia a lyricis, quae appellavi, et rerum, et conſilii, et elaborationis diverſitate multum discreta reperiantur; non tamen ideo nullam plane artificii neceſſitudinem habere cum iis putanda ſunt. Nam quum Theocritus omnino varias ſingulorum carminum dotes diffudit in alia, effecitque hac tali virtutum quaſi communicatione, ut, ſi carminum tractationem magis ſpectes quam materiem, reperias, quae nec elegantia utantur lyricorum, neque negligentia mimicorum, ſed interjecta videantur inter haec media et quaſi temperata: ita in mimicis quoque orationis illam circumſcriptionem, cujus artificium in lyricis maxime agnovimus, verſuumque aequaliter ſibi reſpondentium concinnitatem frequentius adhibuit; diverſis ordinibus paſtorum ad varian-

6) Vſus ſum verbis Heynii ad Virgil. Ecl. III. To. I. p. 49. cf. Iacobs ad Theocr. p. 52.

Digitized by Google

riandas ſermonum cantuumque formas praeclare uſus eſt 7), et faſtidium, ex argumenti tenuitate forte ſuboriundum, pulcerrima loci, in quo res agerentur, exornatione interdum levavit. In quo depingendo non ſingulas partes imaginum iuxta ſe poſuit, quae naturae conjunctio eſt, ſatis illa ad oculos et oblectandos, et ſatiandos efficax, ſed ſenſus loquentium immiſcuit, deſcriptionemque per ſermonum vices, ita abſolvit, ut pictura exiſteret ad notandos hominum χαρακτῆρας aptior, neu phantaſia imaginum junctim animo et uno velut tenore oblatarum copia obrueretur atque turbaretur.

Arbitror intelligi e ſuperioribus poſſe, quanta materiae tractationisque diverſitate diſtincta ſint Theocriti carmina bucolica. Sequitur, ut, quas iis formas induxerit, breviter aperiamus. In quo primum illud iuvat reputare, quod intelligentes viri ſaepe monuerunt, non poſſe poëtae ingenium ita coërceri unius cujusdam et certae formae anguſtiis, quin per conterminas vagetur, variisque formis conſociandis, quid effici poſſit, experiatur. Quemadmodum igitur Theocritus in allegorico illo carmine, quod depingendis alicujus verni itineris amoenitatibus abſolvitur, epicam formam delegit, tali deſcriptioni rerum externarum, ſenſibus hauſtarum 8), convenientiſſimam: ita in caeteris dignam ingenio ſuo variationem ſequutus eſt. Et in iis quidem, in quibus omnis elaborandi ratio pendebat a maiore aut rerum aut ſenſorum conſcientia, licet ad voluptatem lectoris haud magno poſitum eſſet in diſcrimine, utrum poëta, ſuſceptis narrantis partibus, cantus paſtorum exponeret, an ipſos iuberet prodire canentes; tamen quod perſonarum

7) cf. *Neue Krit. Briefe* p. 303. Blanckenburg. ad Sulz. II. p. 596.

8) v. Engel. *Theor. d. Dichtungsart.* p. 338. Twining ad Aristot. Poët. p. 30.

rum ficta inductio, rerumque, quaſi agerentur, ſub adſpectum paene ſubiectio, et ſenſuum exprimendorum iucundam legentibus varietatem afferret, et rerum deſcriptiones redderet vividiores, Theocritus haec carmina fere ad fabulae dramaticae ſimilitudinem comparavit (I, III. IX. X.), raro ſuam ipſius interpoſuit vel continuo narrantis (XI), vel altercationem cantandi quaſi moderantis (VI) perſonam. Sed in mimicis carminibus quoniam omnis ratio referebatur ad morum actionumque imitationem, conſentaneum erat, paſtores ex agrorum acceſſibus in quoddam veluti theatrum adducere, et ſtudia cogitandique omnem rationem non tamquam in artificis tabula probabiliter depictam exhibere, ſed ad actum et vitam revocare, ut lectores intereſſe ſibi viderentur paſtoritio cuidam ſpectaculo. Quapropter et haec bucolica carmina, et illa, quibus univerſum genus mimicum continetur, ad hanc dramatici artificii legem compoſuit, nec, ſi fines huius generis, ab Arethuſae auctore iuſto latius propagatos, noſtrae deſcriptionis anguſtiis terminemus, in eo ullum carmen reperitur, in quo a poëta ſic inducantur aliorum ſermones, ut penes ipſum ſit principatus.

Invitus ac paene reluctans diſcedo ab hac indolis bucolicorum carminum adumbratione. Nam quum per anguſtias huius libelli non licuerit in diſquiſitionem rei pervenire intimam, neque ſingulas obſervationes exemplorum vel luce illuſtrare, vel firmamentis munire, omnem hanc diſputationem fluctuare adhuc video et incertam vagari. Itaque duo praeterea corollarii loco ſubiungam, e quibus diſtributionis illius, quam poſui, vis perſpici quodammodo queat ac diiudicari.

Quaeſitum eſt ſaepenumero atque in diſceptationem vocatum, num inſederit in Theocriti mente ſpecies pulcritudinis, ut ita dicam, paſtoritiae eximia quaedam, quam intuens

Digitized by Google

et in qua defixus, ad illius ſimilitudinem ingenium et artem dirigeret 9). Iam diſtinctis carminum variis generibus licebit fortaſſis hanc rem diſtributius explicare ac dilucidius. Quodſi in cogitanda illius pulcritudinis notione non virtutis cuiusdam moralisque, quam vocant, perfectionis aliquam velut umbram amplexari, aut omnino vanum quid et imaginarium ſequi velimus, a poëta, qui eam ſectatur, requiri haud dubio debet 10), ut remotis iis, quae carminum ſuorum vim minuere in animis aequalium ſuaviſſimamque oculorum faſcinationem ſolvere queant, non modo, quicquid verae felicitatis natura vitae paſtoritiae attribuit, ad animum ſuaviter deludendum congerat; verum etiam, ut quicquid ad ornandam cumulandamque iſtam iucunditatem imaginandi vis et divina efficacia, quum aetatis iudicio, tum poëticae veriſimilitudinis legibus morigerata, fingere poſſit et excogitare, maioris delectationis cauſſa liberaliter arceſſat. Hoc ita poſito, quidni Theocritum cenſeamus, naturae venuſtiſſimum imitatorem, tum in lyricis carminibus, tum in iis, quae deſcriptionis vi et elegantia cenſentur, ad illam cogitatae ſpeciem pulcritudinis ſeſe applicaviſſe? Siquidem in his et paſtores intróduxit, ab agreſti feritate remotos, cultu non civili quidem et urbano, at humano commendabiles, morum ſimplicitate magis quam integrita-

9) Quaeſtio haec: *ob Theokrit nach einem Ideal von Idyllenſchönheit gearbeitet*, ad quantam viros doctos traduxerit opinionum diſcordiam. ſi cui libeat accuratius cognoſcere, ei adeundi ſunt Batteux Ramleri I. p. 380. Moses Mendelides *in Litterat. Br.* V. p. 122. Herder *üb. d. neuere deutſche Litterat.* II. p. 355. denique Manso l. c. p. 94. Qui quidem vir praeclarus, haud ſcio, an Gesneri magis amori, quam ſubtiliſſimo, quo pollet, elegantiae ſenſui obſequutus, Theocriteorum carminum virtutes iniquius depreſſerit.

10) cfr. Engel *Th. d. Dichtungsart.* p. 75. et Heyne de carm. bucol. To. I. Virgil. p. 7.

gritate conſpicuos, malis vitaeque incommodis non liberos, neque tamen oppreſſos, et quaecunque abhorrere ſua aetate cognoviſſet ab aurium oculorumque approbatione, ea vel prorſus ſecrevit, vel ad morum notandorum artificium traduxit, vel ingenii felicitate ſic temperavit, ut reliquae pulcritudini adſperſae labeculae lectores non nimis delicatos haud ſecus, atque leves in pulcra facie maculae, delectarent. Accedit, quod, quae ſparſae eſſent aut locis diſſipatae, veneres naturae interdum in unum conduxit, quod cantica polivit, habitum orationis acceſſione ſuavitatis illuminavit, ut alia praeteream, quae ſupra occupavi diſputando. Atque haec ſunt carmina, quae ſola poſſint ad rectam et liberalem cum Geſneri idylliis comparationem traduci; modo caveamus, ne noſtrae aetatis elegantiam in priſci aevi ſimplicitatem inferentes, perfectiſſimaeque pulcritudinis ſpeciem animo informantes, aut Syracuſani poëtae iniqui reprehenſores, aut Helvetici vatis laudatores inepti reperiamur. Tametſi enim Theocriti carmina non eo compoſita ſunt conſilio, quo legi hodie expetique Geſneriana cupidiſſime ſolent, ut intuenda paſtorum conditione beatae ſimplicitatis iacturam conſolemur, reviviſcentemque in animis et velut e fluctibus luxuriei ac libidinis emergentem integritatis honeſtaeque libertatis ſenſum alamus: tamen Theocritea quoque, cum iudicio lecta, magnam iis et ingenuam voluptatem afferent, quos nondum ab humanitatis vi ac ſenſu politioris ſcilicet vitae conſuetudo abſtraxit atque abalienavit. Longe alia eſt mimicorum carminum ratio. In quibus quum id propoſitum ſibi haberet poëta, ut lectoribus, in actionem deductis, paſtoritiae conditionis et vitae accuratam imitationem exhiberet [11]), ad perfectioris pulcritudinis faſtigium adeo non ad-

11) Vix poſſum mentem meam declarare apertius, quam ſubiiciendis iis, quae Twiningius, eruditus Britannus (Aristotles Treatise

adſpiravit, ut paſtores iuberet et indecore multa facere, et inquinate loqui, conviciis mutuis probrisque ſe laceſſere, ut honeſtatem tantum non omnem exueret, ut ne gratas quidem et iucundas rerum imagines ſemper appeteret, ut medias inter argumentorum opes tractationis inopiam conſectaretur. Quae carmina, quibus Voſſianorum nonnulla, diverſae tamen ratione habita aetatis, aequiparari licet, equidem non miror ab iis fuiſſe in contemtum adducta, quae ad Gallicae, quae olim iactabatur, elegantiae laudem contenderent [12]; ſed illud me fateor mirari, eadem a Virgilio in patrium ſermonem tranſlata, cum bucolicis mixta, ſuperbisque Romanorum iudiciis propoſita, non adhaeſiſſe faſtidiis.

Alterum, quod tangere conſtitui, ſpectat ad elegantiſſimum Arethuſae auctorem, qui magnam adhibens perſuadendi dignitatem, multa in eam ſententiam diſputavit, ut in bucolicis Theocriti carminibus agnoſcendam eſſe oſtenderet mimi paſtora-

ATISE on POETRY p. 162) non de univerſo quidem mimico genere, ſed de idyllio XV diſerta brevitate diſſeruit: *A more exact piece of natural delineation cannot be imagined. It is not, indeed, la belle nature; it is the nature of common and ſimple, or, as ſome affect to call it, of low, life; but copied with ſoſe and claithful a pencil, that, to every reader accuſtomed, in any degree, to obſerve the manners of mankind in general, and whoſe taſte is not perverted by affectation, or fettered by rule, the truth and reality of the imitation will, I believe, amply compenſate for the want of dignity in the thing imitated.*

12) Nota ſunt Fontenellii aliorumque, etiam Italorum (v. BLANKENB. ad Sulz. II. p. 589), de Theocrito iudicia. Sed illud magis dolendum, exſtitiſſe etiam inter noſtrates, qui mimica et caetera idyllia, argumento et tractatione diſiuncta, quum nomine appellarentur uno, vituperationis ſocietate coniungerent. v. MEINERS *Aeſthetik* p. 289. *Analekt. für Politik, Philoſ. u. Litteratur* n. III.

ſtoralis, in ſcena olim exhibiti, ſpeciem, quae Sophronis in effingendis moribus artificium aemulata, dramatisque et unitatem, et implicationem iuſtam atque expoſitionem adſpernata, characterum ad veritatem expreſſa imitatione abſolveretur. Quam ſententiam ad coniecturae probabilitatem ſi dirigas, ſpecioſa erit; ſin perpendere ad eam, quam propoſui, carminum deſcriptionem velis, reperietur dubia. Nam ne illud confecter, quod Finkensteinius bucolicorum poëmatum et genus, et argumenta mirifice dilatavit, adſcitis in eorum numerum quum aliis, tum iis, quae, neſcio quo iure, urbana (*ſtädtiſche Bukolien*) appellavit: ex iis, quae diſputata ſunt, quisque intelligit, in duobus illis, quae primo loco memoravi, generibus et poëtae conſilium afuiſſe a mimica expoſitione, et vero ipſam nonnullorum carminum formam abhorrere; in mimicoproniorem ad fidem eſſe iſtam opinionem, ſi idoneis poſſit rationibus fulfulciri. Progrediamur itaque ad univerſum mimicorum poëmatum genus, e cuius haud ſane anguſta penu bucolica illa inſtruxerunt ſeſe atque coloraverunt.

II. CARMINA MIMICA.

Sed quoniam nec hic in argumenti tam late fuſi accuratiorem tractationem penitus deſcendere licet; non incommodum videtur, quamdam ſylvam atque materiam univerſam exponere iudiciis lectorum, e qua diſputationis hac de re alio tempore inſtituendae ſumma et ambitus cognoſcatur.

Nimirum ſi in univerſum haec fuit ratio mimorum et indoles, ut ſpreta fabulae deſcriptione iuſta et oeconomia, hominum inferiore loco natorum mores dramatica imitatione (μιμήσει)

 expri-

exprimerent, variasque illorum ac ſaepe contrarias imagines exhiberent, accommodate ad delectationem: diſtinctis primum mimis Graecorum ab iis, quos Romanae ſcenae conſuetudo frequentavit, Graecisque dein ad ſua revocatis genera [13]), diſpiciendum erit, quo quaſi communi vinculo Sophronei cum caeteris fuerint copulati, qua potiſſimum diverſitate ab iis ſeiuncti, quas habuerint proprias dotes. Has quum repeririſſe nobis videamur tum in ſeveritatis maiore ſtudio, tum in compoſitionis aliqua concinnitate, tum in orationis metrorum legibus ſolutae numeroſa iunctura et concluſione [14]): porro quaerendum eſt, utrum illi in ſcena fuerint acti, an ad dramaticam potius formam elaborati dialogi, qui aut privato ſtudio legerentur ab aequalibus, aut a poëta, mimici artificii gnaro, publice recitarentur, eo fere modo, quo recentiore aetate recitationes ſatyrico-comicae (*Lectures upon heads*) celebrari in Londinenſi theatro ſolebant [15]). Et quum in iis, quae non firma ſatis hiſtoriae ac rerum ipſarum fide nitantur, indulgere interdum liceat argumentis in ſuſpicionis probabilitate poſitis: non abſonum erit quaerere, num quid forte Plato, Sophronis aemu-

13) Nondum haec ſatis declarata ſunt a mimicae artis et hiſtoriae ſcriptoribus, quibus a BECHERO (Laberii Mimi prologus, praecedit hiſt. poëſ. mimicae ap. Rom. L. 1787. p. 8) et ZIEGLERO (de mimis Rom. Gött. 1788. p. 6.) diligenter recenſitis addes CARPZOVII PARADOXON ARISTONIS CHII p. 69. et paſſ., AULNAYE *Recherches* ſur l'origine, les progres et les effets de la Pantomime chez les Anciens, Par. 1789. 8. et TWINING ad ARISTOT. Poët. p. 161.

14) His, quae nunc a me firmari nequeunt, aliquod adminiculum lumenque addi poterit tum ex iis, quos laudavi, libris, tum e VALCK. annot. in Adoniaz. p. 193. et Arethuſa p. 31.

15) cf. *Götting. Taſchenbuch*, 1788. p. 133. et *Flögel Geſch. des Groteske kom. p.* 108.

Digitized by Google

aemulus [16]), ex huius mimis in ſuos traduxerit dialogos, quae inter utrasque operum formas neceſſitudo interceſſerit, quid ad recludendam mimorum indolem inde derivandum videatur. Poterit etiam mimorum cum Alciphronea morum exprimendorum arte comparatio inſtitui ſaluberrima. Ab hoc velut aditu quum diſputatio pervenerit ad Theocritum, qui non modo ad Sophronis ſeſe *in his carminibus* imitationem compoſuit, ſed ipſa quoque mimorum quorumdam argumenta ab eo tranſſumſit; primum de ſingulis carminibus videndum, in quibus ineſt mimicus veluti character; dein, quid traxerint a contagione mimorum; denique an ſcenam intraverint.

Praetermiſſis igitur iis, quorum explanationem hic locus non capit, in iis quae Theocritum propius attingunt, paullulum ſubſiſtere iuvat. Sunt autem mimico generi praeter ea, quae gemina his et ſimillima e bucolicis nominavi, ſubiicienda idyllia II. XIV. XV. Quorum in elaboratione quum non tam ſenſa, quam res, hoc eſt, mores et conſuetudines vitae quotidianae animo poëtae obverſarentur; dramatico eas artificio ſic expreſſit, ut homines in conſpectum produceret humili loco natos et ingenii varietate inſignes, ipſamque expoſitionem ſcenico velut inſtructu ornaret. Quid? quod ſi ea potiſſimum carmina mimica reſpicias, quae diſcreta a bucolicis, univerſo hoc genere continentur, videtur poëta non tam in fictis habitaſſe argumentis, quam in fictas perſonas rerum ſuo aevo geſtarum veritatem tranſtuliſſe. Quamvis autem indoles horum poëmatum omnino in eo cernatur, quod non tam morum et characterum, e fabulae progreſſione velut eluceſcen-

C 2 tium

16) v. quos commemoravit Harles ad Fabricii B. Gr. II. p. 493. Add. *Bibl. d. a. Litt. u. Kunſt* P. V. Inedit. p. 12.

17) Digitum ad haec intenderunt Meiners *G. d. Wiſſenſch.* II. p. 700. Hurd ad Horat. Epp. I. p. 223.

tium, imaginem referant, quam parvas quasdam picturas, denſis quidem acrioribusque cloribus obrutas, at ſingulares tamen ſeparatimque tamquam in tabula expoſitas, oculis ſubiiciant; neque omnino integri dramatis, ſed ſcenarum ex magna aliqua fabula decerptarum ſpeciem habeant; tamen inter tractationem illorum aliquid video intereſſe. Quippe idyllium decimum quintum, et quae ad eius ſimilitudinem proxime accedunt, mimico-bucolica, ſcenarum particulas continent, interiore nullo conſortio inter ſe cohaerentes, in quibus flumen colloquiorum et varietas non a conſilio pendet et cogitatione, ſed aut phantaſiae arbitrio, aut ſenſuum ſollicitationibus impulſionibusque regitur. Secundum in ſoliloquio conſiſtit concitatius fuſo, eodemque ad pectoris ſenſa tum exprimenda, tum commovenda magis, quam caeterorum dialogi, comparato. Qua in re licet diſiunctum ab eo ſit idyllium quartum et decimum, in eo tamen ambo conveniunt, quod ſententiarum ſeriem conſtantius ſervant, ad certam rationem diſpoſita et perpetuo actionis quaſi ſilo ad finem deducta ſunt. Superiora illa, quoniam vitae domeſticae imitationem preſſe nimis anguſteque conſectantur, placere non poterunt, niſi totum te animo tranſtuleris in rudiorum hominum, ad quorum delectationem mimi maxime revocabantur, ſimplicitatem; haec poſteriora propter ſingularum partium conſpirationem ſermonumque nexum aptiorem, qui lectionis et ſuavitatem et conſtantiam auget, ne ſeverioribus quidem iudicibus improbabuntur. Caeterum quod omnino mimica haec carmina non curatius ſunt et exquiſitius elaborata; quod colloquia, nativo quodam vigore et ſubitanea vi concitata, liberius feruntur celeriusque; quod ſalſis redundant amarulentisque dicteriis; quod aequalium vitia tecte perſtringunt; quod proverbiis non adſperſa ſunt, ſed referta; haec igitur et alia ex eodem mimorum fonte derivata manarunt, unde omnis orationis, ad vitae quotidianae

tidianae familiaritatem depreſſae, ſive negligentia, ſive ſimplicitas, ad ea affluxit.

His ita delibatis, ſi ea porro quaeſtio agitetur, num Theocritus ſcenica hac morum ſimulatione vel aſſequutus umquam ſit, vel aſſequi omnino voluerit, ut mimici, quos compoſuiſſet, luſus ſpectatoribus exhiberentur in theatro: non licebit nunc ea reſponſionis levitate defungi, qua paene ſola impugnatam a multis video Finkensteinii ſententiam. Quippe fieri negant potuiſſe, ut iſta in ſcenam adducerentur carmina, quoniam multa in iis occurrant mixta e dialogo ac narratione, in quibus duorum collocutorum partes unus ſuſtineat poëta. Sed nimirum ea ut praeteream, quae paſſim ſunt a doctis hominibus de dramatum inconditorum cum narratione conſociatorum indole et ingenio diſputata; quum ex ea partitione carminum, quam nos et anguſtiorem, et cauſſis ſuis uti quidem ſperamus, munitiorem poſuimus, mimico non accenſeantur generi, niſi quae dramaticam formam habeant: ita cadit iſtius obiectionis imbecillitas, ut magnam potius Finkensteinii ſuſpicio veritatis commendationem accipere videatur. Nec diffitendum eſt, congruam eam delectationem fuiſſe ingenio plebis, quae in ſenſuum ſuavi quodam delinimento acquieſcens, dramaticae actionis abſolutionem, animique et tenendi et deludendi artificium non magnopere expeteret, praeſertim ſi ad actorum quamdam dexteritatem acceſſerit ſcenicus apparatus liberaliter ſumptuoſeque inſtructus, qualem idyllii XV. inductio flagitaret, et Anglorum elegantia in conſimili ſpectaculorum genere (*Entertainments* [18]) non ſine incredibili plauſu frequentavit. Verum enimvero primum deſtituta haec opinio

 eſt

18) v. Archenholz *England und Italien* III. p. 158. Blankenburg. ad Sulzer. I. p. 570.

Digitized by Google

eſt omni veterum auctoritate; id quod nec Arethuſae auctor diſſimulare ſuſtinuit, cautius ille hac in re et religioſius cum lectoribus agendum ratus Tho. Wartono, qui lubricorum uſus argumentorum fallaciis [19]), attentavit imperitorum fidem. Deinde quum in caeteris carminibus, tum maxime in Adoniazuſis, quas regnare dicunt in hoc genere, tractatio rerum ſic eſt comparata, ut, quanto in eam ſolertius inquiras, tanto plura reperias, quae non oculis videantur ſubjecta, ſed auribus narrata, ideoque non tam dramaticae expoſitionis vim et facilitatem, quam deſcriptionis ad dramaticam rationem elaboratae artificium arguant. Ea praeterea eſt illius poëmatis compoſitio, ut dubium non ſit, quin mira illa et multiplex ſcenarum, quas vocant, variatio in tanta dramatis et brevitate et levitate non modo theatralium, quae tum erant, machinarum efficientiam ſuperarit, verum etiam impenſas exegerit moleſtas ac pro tam modicae voluptatis fructu paene inſanas. Elucet denique in nonnullis iſtis carminibus Ptolemaei et Praxinoës benevolentiam alliciendi manifeſtum ſtudium, quod in eam nos ſaepe ſententiam adduxit, ut a poëta, ingenioſe adulante, ea compoſita putaremus Alexandriae, quum muſa ſcenica e publica luce in ſcribendi ſeſe ſolitudinem ac domeſticum quaſi ſeceſſum recepiſſet. Cui opinioni addi fortaſſis probabilitas e linguae ratione

19) In Heliodori loco (Aethiop. V. p. 231. ed. Commel. 1611.), quo mirum in modum abuſus eſt Wartonus (in diſſ. de poëſi bucol. Gr. praefixa Theocrit. To. I. p. XXVI), quomodo intelligendum ſit ποιμενικὸν θέατρον, patebit ex Villoiſoniana ad Longum p. 267. nota. Donati autem auctoritas (in Vita Virgil. To. I. p. CLXV. ed. Heyn.), et, quae illa et antiquior eſt et verbis luculentior, auctoris dialogi de Oratoribus (c. 13. p. 49. ed. Schulz.) non pertinet niſi ad Romanas Virgilianarum eclogarum recitationes. Caetera, quae Wartonus protulit, adeo ſunt levia, ut iis refutandis nolim operam ludere.

Digitized by Google

ne poteſt, quae, quod haud ſcio, an latuerit interpretum acumen, in his mimicis luſibus peregrinitatis quodam colore infecta eſt.

Hactenus de mimicis. Ab ea proxime mihi videntur Piscatores abeſſe (id. XXI.), quippe una formae diſcrepantia a caeteris diſtincti. Quod carmen quum magna vulgo conſenſione bucolico generi adſcribatur; quibus ego rationibus ductus, meam ſententiam a communi iudicio ſejungendam cenſuerim, quam breviſſime fieri enucleatisſimeque poteſt, exponam. Scilicet primum ea eſt et loci, in quo res aguntur, deſcriptio, et piſcatorum confabulatio, quae nobis in memoriam revocet laboris moleſtias, attriti corporis defatigationem, vitae ſordes ac miſerias, alia, quae a iucunditate Theocriteorum idylliorum vehementer abhorreant. Non ſum neſcius, quibus ea modis defendantur [20]; ſed idem ſic ſtatuo, hoc potiſſimum carmen fuiſſe in cauſſa, quare, qui univerſum bucolicae poëſeos provinciam ad Theocriti potius auctoritatem, aut ſuae opinionis arbitrium, quam ad veritatis leges definire inſtituiſſent, terminos illius iuſto proferrent latius. Deinde per ſingulos verſus conſpicuum eſt morum exprimendorum conſilium; collocutio piſcatorum, ſpreta membrorum aequabili concinnitate, quae in bucolicis circuitum et quaſi orbem conficit ſuum, liberiore curſu procedit, animosque legentium, moratae narrationis ſuavitate captos, inopinata rerum converſione, tamquam aliqua peripetia, fallit. Quemadmodum denique probabile eſt, poëtam Sophronis aut Θυννοθήραν [21]) aut Ἁλιεῖς [22]) imitando expreſſiſſe; ita nec a vero abhorret, quod

 viri

20) cf. Schlegelii Batteux II. p. 394.

21) cf. Bentleii Opp. Philol. p. 527. Valck. ad Adoniaz. p. 325.

22) cf. Athen. VII. p. 288. Toup. Cur. noviſſ. in Suid. p. 206. et Append. novae ed. To. IV. p. 428.

viri docti aliis de cauſſis ſuſpicati ſunt [23]), ipſum hoc carmen compoſitum in Aegypto fuiſſe.

III. CARMINA VARII ARGVMENTI.

De hoc carminum Theocriteorum genere nil poſſe univerſe moneri, ipſa varietas argumentorum docet. Quid enim? ſi vel maxime moneremus, agnoſci in iis ingenium Theocriti, qui in epicis quoque poëmatis ſimplicitatem ac nativam elegantiam ante gravitatem et ambitioſum ornatum duceret, argumentique ſeveritatem hilari ac iucunda tractatione condiret ac temperaret; qui in lyricis non ficto ſurgeret ſimulatoque furore, ſed ſenſa pectoris ſubtiliſſimo cum iudicio in animos legentium transfunderet, libenter immorans in imaginibus naturae ac vitae paſtoritiae, earumque exornationi cum voluptate indulgens; qui rerum laetis coloribus nonnunquam orationem attemperaret ſuam, molliore Ionum ſermone in doricae aſperitatis locum ſuffecto; haec igitur atque alia huiuscemodi ſi copioſa oratione enumeraremus, quid tandem repeteremus, niſi et cognitu faciliora, et obſervationibus pervagata? Quapropter totum hoc, quod, niſi excuſſis ſingulis carminibus, explanari nequit, nunc quidem miſſum faciamus, univerſum potius genus ad eas, quas iam obiter indicavimus, ſpecies revocaturi.

Sunt autem in his carminibus praeter *epigrammata*, quae et ipſa ad ſuas redigi claſſes poſſunt, et *ingenii* quosdam *breviores luſus* (XIX. XXX.), quorum auctores in obſcuro latent, alia Epica, quae in ipſis rerum deſcriptionibus occupata, nunc

23) v. Warton. To. II. p. 235.

nunc encomii ſpeciem referant (XVI.) nunc ſingulorum mythorum (XIII. XXIV.), ſive aliarum rerum (XXIII.) narrationem cum ſenſu perſequantur, omninoque ad mediam quamdam epicorum claſſem pertineant; alia Lyrica, quae liberiore fuſa ſpiritu pectorisque motu elatiora (XII. XVIII.), ipſa interdum numerorum lyrica compoſitione (XXVIII. XXIX.) maiorem vim habeant et ſuavitatem.

Sed a diligentiore horum carminum deſcriptione animum in his anguſtiis ſcriptionis etiam hoc avertit, quod multa in iis reperiuntur, quae diſtracta interpretum judiciis, antequam Theocriteum ex iis χαρακτῆρα adumbres, huius ingenio paullo ſunt accuratius vindicanda.

Omnino illud nondum vidimus nec tentatum ab ullo eſſe, neque perfectum, ut, quae genuina eſſent Theocriti carmina, quae ſuppoſita, non tantum iudicii ſeveritate exploraret, verum etiam probabili orationis et ordine et copia exponeret. Quamquam enim, ut ex antiquioribus poëtae editoribus Stephanos tantum ac Camerarios memorem, quorum merita et memoriam grata mente recolere iuvat, recentiori aetate multa ſunt a Reiskiis, Wartonis, Valkenariis, et ſi qui eſſent alii Theocriteo quodam veluti guſtu imbuti, tum animadverſa prudenter, tum utiliter admonita: ipſa tamen noviſſimorum editorum atque interpretum fluctuatio ſatis, opinor, declaravit, ad hanc quaeſtionem diſceptandam opus eſſe, ut et plura, quae rem conficiant, in medium proferantur argumenta. et quae diſperſa latent atque abſcondita in notarum angulis, ac nimis verecunde admiſſionem petunt, ad certam conſtantemque legem digeſta, uni tandem obtutui ſubiiciantur. Rem video lubricam eſſe ac perdifficilem, et eam quidem ipſa difficultate ſua vel reprehenſionis aliquid, vel certe offenſionis

 habi-

Digitized by Google

habituram. Sed quum eam per huius inſtituti rationem nec transgredi ſilentio liceat, neque conſumere diſputando; pauca ſaltem ſpeciminis loco proferemus, in quibus veri indagandi ſtudium defectum ſuavitatis ſua quadam dignitate compenſabit.

IV. CARMINA THEOCRITO SVPPOSITA.

Nullum reperio omnium Theocriti carminum, quod tam disparibus agitatum ſit interpretum iudiciis, quam idyllium **XXV**, quod ΗΡΑΚΛΗΣ ΛΕΟΝΤΟΦΟΝΟΣ inſcribitur. Sive enim de eius auctore quaeratur; aliis abhorrere illud viſum eſt a Theocriti ingenio, aliis ſimplicitati eius egregie convenire: ſeu pretium reſpiciatur operi conſtituendum; plerique de eo admodum ſenſerunt magnifice virtutesque diſerta oratione commendaverunt; pauci reprehendere aliquid ſuſtinuerunt; fuerunt etiam [24]), qui in utramque partem fluctuarent. In eo tamen omnes una et mente, et voce conſenſerunt, non ſupereſſe nobis niſi particulam, decerptam e longiore poëmate epico, quod poëta narrationi rerum ab Hercule fortiter geſtarum dicaviſſe videatur. Quod quidem iudicium multis argumentis firmatur. Ea nimirum eſt totius carminis conſtitutio, quae non initio tantum ſuo [25]), verum etiam fine illud mutilatum oſten-

24) cf. Warton. Praef. To. I. p. XIV. Vo. II. p. 277. 288.

25) Ad redintegrandum carminis initium Grammaticus male feriatus verſus olim quosdam praefixit, de quorum auctore magna fuit virorum doctorum fluctuatio. Eos verſus cum aliis, quos idyllio XXIV. adiectos legimus, reperio primum editos in ed. Baſileenſi ap. Cratandr. 1530, quae prae manu non erat Wartono (v. Ei. Prol. To. I. p. LIX): hinc translatae in Francofurtanam 1545. et alias devenere. Me

oſtendat. Quum enim omne eius, quale nunc habemus, argumentum verſetur in deſcribendo Herculis ad Augiae ſtabula acceſſu, expoſitaque virtutis illius luculenta declaratione, terminetur narratione de caede leonis Nemei: credibile eſt, Phyleum repoſuiſſe aliquid ultimo Herculis ſermoni, poëtamque ea deinde fuiſſe perſequutum, quibus praegreſſae narrationis ambage quaſi proluſerat, purgationem ſtabuli, Herculi demandatam, expeditionem eius adverſus Augiam, ipſius denique regni expugnationem [26]. Accedit, quod ſi Grammaticorum inſcriptiones, ſingulis partibus praefixas [27], conſideres, poëta grande videatur opus molitus, quod non ſubſiſteret in uno alterove Herculis facto deſcribendo, ſed magnam vitae illius partem continuo narrationis ordine emetiretur.

At vero quum non integrum nobis relictum ſit carmen; ſponte intelligitur, noſtrum de eo ſic eſſe moderandum iudicium, ut non tam operis ſummam et inventionem, quam ſingulorum tractationem locorum orationisque indolem ad criticae rationis ſubtilitatem revocemus. Quando enim carmen, quale nunc eſt, contemplamur neque oeconomiam eius ad majoris

Me quidem tum SCALIGERI de his ſupplementis, quae verſibus aliquot aucta, e codice edidit, iudicium (Emend. p. 226. 231.), tum WARTONIANA codicis epiſcopi Melſitani commemoratio (To. II. p. 276.) adducit, ea ut non ſcripta a CAMERARIO, ſed ex veteri libro exſcripta et cum Eob. Heſſo communicata putem. Ac profecto tanta eſt verſuum ieiunitas, ut, qui CAMERARII eos ingenio tribuerunt, magnam videantur illius elegantiae feciſſe injuriam. Add. PILENEIO *annotazioni all' idilli di Teocrito* p. 131.

26) DIOD. S. IV. p. 279. HEYNE ad Apollodor. p. 360. 450.

27) v. REISKII not. p. 308. Non ſolebant autem Grammatici ſingulas carminum partes diverſis titulis diſtinguere, niſi ſi quae carmina eſſent productiora. Cf. Bibl. *d. a. Litter. u. Kunſt*. P. VIII. Inedit. p. 8.

joris cuiusdam operis ſpeciem animo informatam exigimus: fieri non poteſt, quin infelix, ac prope dicam inepta illius deſcriptio nos in multis offendat. Sed ipſa quoque ſingulorum locorum tractatio et junctura ita eſt comparata, ut, ſive ad carminis epici leges eam perpendamus, ſeu Theocriteo componendi genere metiamur, utroque modo carmen nec ſatis feliciter elaboratum, neque Theocriti dignum elegantia cenſendum ſit. De utroque deinceps dicemus, tantoque dicemus liberius, quanto minus carminis detruncati ratio ſtatuendi de his iudicandique viam praecludit. Nam ut longiores illas digreſſiones, qua nunc in tanta carminis brevitate culpae ſpeciem habent (v. c. vs. 159 — fin.), ſi integrum illud exſtaret, libentius excuſaremus: tamen nimiam poëtae in parergis diutius immorandi ſedulitatem moleſtumque leviora dilatandi ſtudium non item eſſemus collaudaturi. Sentimus enim ſpiritum epicum hoc pacto infringi, mentemque, a ſumma rerum abductam, retardari paullatim ac langueſcere. Sed ne cupidius haec a nobis quam verius dicta videantur, age, quosdam hoc conſilio locos tangamus. Narratiuncula illa de canibus, adventantem Herculem allatrantibus (v. 78-76), ſi univerſe ſpectetur, quis neget perite expoſitam eſſe? Sin eadem vel ad epici poëmatis naturam, vel ad nexus et conſequentiae rationem perpendatur; mireris, auctoris ingenium his amplificandis adeo indulſiſſe. Ac ſi vel maxime locum expreſſum dicamus e principe poëtarum, qui nil molitur inepte; tamen Homerus ea vel leviter tantum attigit (Od. XIV. 29.), quae longa deſcriptione attenuata, in exilitatem abeunt, vel narrationis ſeriei tanta cum arte intexuit, quaeque mox eſſent eventura, ex iis apta eſſe nexaque voluit (Od. XVI. 4.), ut lectorum exſpectatio ſuſpenſa, ſtudia retinerentur erecta. Sed noſter quum hic, tum alibi prava Homericae ſimplicitatis imitatione peccavit, ac dum curavit, ne quid intercideret eorum, quae ille probabilitati congruenter accom-

Digitized by Google

accommodateque ad rerum conexionem narraſſet, ad tenuem ſaepe loquacitatem, gravitati epicae maxime inimicam, delapſus eſt. Pariter ſermones paſtoris de canum fida cuſtodia (78-84), ſeu de pecudum, quas Augias alebat, multitudine 86-141), ſi quis loquacitatem referre ſenectutis, aut inculti hominis mores commode exprimere contendat, equidem largior; ſed idem vereor, ne tam prolixa de rebus parvis ſermocinatio locum ſortita ineptum epicique carminis dignitati parum conſentanea videatur.

Quo autem poëta maiorem in iis, quae quaſi ſecundaria habenda ſunt, ornandis dilatandisque operae partem conſumſit: eo crebrius deſtituit ea, quae ad iuſtam argumenti, in quo verſaretur, pertractationem pertinerent, reſque temporis intervallo, ſi non longo, tamen aliquo, diſiunctas importuno narrationis conſortio ſociavit. Poterant plura hanc in rem loca notari (v c. vs. 110); nunc unum illud velim lectores animadvertant, quo animadverſo, mirum ni ſua ſeſe exſpectatione fraudatos inviti ſentiant, Herculem, qui Augiam regem adire cupiſſet (v. 43), adductum ad eum, roborisque oſtentandi cauſſa multa molitum (v. 145), propoſiti ſui adeo ſingi obliviosſum, ut cum filio illius ex agris in urbem diſcedat (v. 153), ſecurus de patre [28].

Quae hactenus carminis vitia enumeravi, aperta illa et ante oculos expoſita, ſi epici poëmatis rationem ponderemus; ex iis unum hoc volui conficere, ut antiqui illud poëtae elegantia indi-

28) Tam abrupte hic omnia narrata ſunt, tam male vincta, ut, ſi poëta melius ſeſe geſſiſſet in caeteris, poſt v. 152 excidiſſe nonnulla ſuſpiceris. Quo excuſationis perfugio uſum video noviſſimum inter noſtrates Theocriti interpretem, BINDEMANNUM p. 284.

Digitized by Google

indignum haberetur Verum ut a Theocrito carmen profeſtum iure negemus, aliis opus eſt et ad perſuadendum firmioribus argumentis. Nec vero ea longius arceſſenda ſunt. Diſcrepat enim univerſa tractationis elocutionisque, qua noſter uſus eſt, forma et facies a Theocritéa ſcribendi ratione, poëtaeque ingenium prodit diſſimillimum. Et quamvis repugnare non auſim HARLESII iudicio (p. 399), qui Theocritum pronuntiavit in alio carminis genere a bucolico diverſum eſſe et aliam inire viam potuiſſe: tamen illud mihi videor e poëtae reliquiis, in quibus ſtudioſe ſum et multum volutatus, didiciſſe, eum in iis quoque carminibus, quorum a bucolicis abhorreret argumentum, diverſoque tractandi modo locum faceret, ad paſtoritiae, ut ita dicam, muſae ſuavitatem ita ſeſe compoſuiſſe, ut inſidere iis quidam venuſtatis, non fuco illitus, ſed ſanguine diffuſus et e naturae ſimplicitate ductus videatur color. Quae dos carminum qualis ſit, quamque illius fere nihil quicquam deprehendatur in noſtro poëmate, ita nunc volumus explicare, ut idyllii XXIV cum hoc aliquam comparationem, multis illam de cauſſis in hac diſputatione paene neceſſariam, inſtituamus.

Simillimum in utroque tractatur argumentum: nam et in idyllio XXIV, cuius finem 29) temporis iniquitas abolevit, poëta Herculeae virtutis cogitatione ad canendum concitatus, primam eius adoleſcentiam, futurae praenunciam gloriae, vel omnem omnino diſciplinam inſtitutionemque expoſuerat: ſed ſumma reperitur quum in elaborandi ratione, tum in poëtica elocutione diverſitas. Nam, ut ab hac ordiar, in illo quidem carmine, in quo noſtra adhuc verſata eſt diſputatio, maior regnat

29) Quod cum REISKIO p. 306. WARTONUS p. 266. non ultimam carminis, ſed primam partem deſiderabat, id non video, quo pacto aut ex illius argumento, aut ex abruptiore fine firmari queat. Quodſi initium bene habet, in fine non multa videntur intercidiſſe.

Digitized by Google

regnat orationis ubertas, copia luxuriantior: huius poſterioris ſumma laus in venuſta quadam ſimplicitate poſita eſt. Illud ſententiis redundat, e vitae communis tenuitate adſcitis, quae etſi dari interdum queant verboſiori paſtoris aetati, tamen ſaepe ſunt locis alienis inſertae (v. 50.) omninoque ingenio talis carminis parum accommodatae. Hoc ſententiarum veritate facilique iunctura excellit; nihil eſt, quod dictum temere, aut non ſuo loco poſitum videatur. In illo multa occurrunt, quae imitatoris in magnis, quas iactat, divitiis ad variandum pauperrimi imperitiam arguant. Adeo enim poëta in Homeri carminibus habitavit, ut e dictionibus inde deſumtis magnam conflaret carminis ſui partem [30]). Idyllii contra vigeſimi quarti auctor licet et ipſe, ut ſolebat Theocritus, Homeri et formulas et virtutes verecunde ſectatus ſit: huius tamen aemulationis ſtudio non eo ſe paſſus eſt abripi, ut integra ab Homero hemiſtichia ſurriperet, neque commiſit, quod imitatori iſti ſaepe videas accidiſſe, ut, quum mutare Homericam narrandi formam vellet, ſtudium brevitatis obſcuritatem, ubertatis redundantiam procrearet. Eminet praeterea carmen XXIV morum exquiſitiore quadam notatione; in quibus Alcmenae in primis, pavidae ac religioſae mulieris, χαρακτήρ tum naturae convenienter adumbratus eſt, tum apte ad probabilitatem ſervatus, et cum ratione epicae dignitatis expreſſus. Omnia in eo Theocriteam ſpirant gratiam ac venuſtatem. Ad eam refero, quod poëta tenerrimi

30) Veriſſime ſic iudicavit VALKENARIUS Var. LL. ad Hom. Il. X. p. 58. Add. eiusdem not. ad Phoen. Eurip. p. 249. Quos vir magnus ibi locos laudavit, ut jejunitatem imitationis oſtenderet, iis alia poſſunt addi complura. Sic cum v. I. cfr. Od. III, 422.; cum v. 38. H. in Cerer. 213 ibique RUHNK. et MITSCHERL.; cum v. 68. Od. XIV. 29. XVI. 4.; cum v. 85. Od. XVII. 170.; cum v. 156. Il. XVI, 342. cum v. 234. Il. XX. 168.; cum v. 241. Il. XX. 170; cum v. 248. Il. XXI. 37.

rimi amoris ſenſus eleganter et παθητικῶς expreſſit (v. 7); quod imagines [31]) ac deſcriptiones ad naturae et veritatem inſtituit, et ſuavitatem exornavit (18. 23-28. 56. 59.), quod Herculis magiſtros ita recenſuit (105-131) ut ſuis quemque moribus, inſtitutis, vitae genere inſigniret, narrationisque ieiunitatem orationis pulcriore habitu et abſolutione ſuperaret. Id. XXV. non deſtitutum illud quidem eſt deſcriptionum ac comparationum, poëtico ornatu inſtructarum, vi et elegantia; ſed pleraeque nec inventionis felicitate gaudent, neque expoſitionis claritate lucent, ita, ut ſi ad picturam eas apud animum velis revocare, impeditum te ſentias obſcuritate deſcriptionis ac difficultate [32]). Ipſa denique numerorum compoſitio mollior eſt in id. XXIV, verſusque leniore ſeſe ac faciliore flumine in aures inſinuat.

Duo mihi videor inſtituta hactenus diſputatione aſſequutus: primum, ut carmen XXIV Theocrito vindicarem, ipſius praeſtantia magis, quam Grammaticorum ductus teſtimoniis [33]); dein, ut idyllii XXV νοθείαν convincerem, cauſſisque ſuis demonſtrarem. Sunt autem ad hanc rem conficiendam plura nobis in promptu argumenta, partim illa e metricis rationibus [34]), partim ex linguae ratione depromenda; quae ut

31) Ut unam e multis tangam, quam bella eſt pictura Herculis infantis, circumplicati ſerpentum amplexu, occiſasque beſtias cum riſu puerili proiicientis ad patris pedes v. 56. ſeqq.

32) Exempla ſuppeditant loci, qui interpretum artem fruſtra exercuerunt, v. 145. ſeqq. 268 ſeqq.

33) Laudarunt carmen adiecto Theocriti nomine Schol. ad Apollon. Rh. I. 1077. et EUSTATHIUS. duobus locis a REISKIO p. 304. adductis. Quamquam EUSTATHII non magna eſt in talibus auctoritas v. WARTON. Praef. To. I. p. XIV.

34) Quoniam ſyllaba media vocabuli κορύνη veteribus poëtis corripitur, hinc CLARKIUS ad Hom. Il. H. 141. carmen noſtrum, in cuius vs. 36.

ut ſunt veriſimilia, ſi non ſingula movent ſuo pondere, multum tamen, etiamſi videntur exigua, quum ſint coagmentata, proficiunt. Sed de his, quae ex diverſo verborum uſu, flexione aut novitate poſſunt repeti, tum a nobis commodius dicetur quum ad auctorem carminis probabiliter indagandum nos contulerimus.

Quam disquiſitionis partem priusquam conamur attingere, afferendae ſunt breviterque examinandae aliorum de carminis auctore opiniones, ne illorum auctoritati minus, quam noſtro iudicio tribuiſſe videamur.

Convenerunt autem omnes, quotquot vidi, interpretes in eo, ut, quum magnam partem carminis interiiſſe intellexiſſent, ex aliqua illud *Heraclea* deſumtum arbitrarentur. Quae ſuſpicio quamquam per ſe non improbabilis eſt: tamen non poſſum Valkenario [35]) aliisque aſſentiri, qui noſtrum et antecedens carmen diverſas unius Heracleae contenderunt eſſe partes. Nam, ne leviora conſecter, ex iis, quae attuli, apparebit, poëmatum illorum formam non congruere, diverſum eſſe utriusque ingenium, diverſam tractationem, diverſam orationem.

Timide

vs. 63. ea ſyllaba producitur, non Theocriti eſſe, ſed recentioris poëtae coniecit. Quamquam autem Toupius (Add. in Theocr. To. II. p. 404) recte oppoſuit Euripidis quaedam et Nicandri loca: Clarkii tamen rationi hanc licebit moderationem adhibere, ut a Theocrito, quem non auſimus negligentiae in re metrica admiſſae cum Iac. Palmerio (Ex. in AA. Gr. p. 795. 814) accuſare, ſyllabam illam conſtanter correptam defendamus.

34) p. 234 ed. ſec. Impoſuit argumenti ſimilitudo et aliis, ut carmina male divulſa iudicarent; in quibus nemo hac de re ieiunius diſſeruit Car. Fr. Pezoldo in com. de Theocriti ſtylo (L. 1710. 4.) p. 29.

Timide ingredior ad recenſendam KOEPPENII de hoc carmine ſententiam [36]), quoniam, quibus ego argumentis ſupra elevare opinionem de praeſtantia illius et antiquitate conatus ſum, iisdem ſubtili ille vir iudicio uſus eſt ad vindicandam eius vetuſtatem. Iuvat verba illius apponere; *Schon der kunſtloſe Plan beweiſet das höhere Alter des Liedes, dafür ſich noch mehrere innere Gründe anführen laſſen. Das ganze Gedicht iſt ein faſt ununterbrochener Dialog. Dies iſt bei den alten griech. epiſchen Dichtern charakteriſtiſch.* Quod iudicium dubium eſt, an errori magis, quam veritati, materiam dederit. Quum enim hac arte aliis multis liceat recentiorum poëtarum operibus antiquitatis commendationem affingere; tum Coluthus, omnium fere imperitiſſimus, in eiusdem laudis ſocietatem veniet. Cuius ego poëtae tanto nunc lubentius nominatim mentionem facio, quanto illi noſter eſt et componendi genere propior, et vitiis coniunctior [37]).

Revocavit autem KOEPPENIUS ſententiam ſuam huc, ut REISKII tueretur WARTONIque iudicium, qui carmen a PISANDRO', antiquo poëta Camirenſi [38]), profectum cenſuerant. Fuit PISANDER aut HESIODO antiquior et EUMOLPO aequalis, aut, ſi Suidae fides habenda eſt, circa Ol. XXXIII. floruit, duosque compoſuit Heracleae libros, ab Ariſtophane et Ariſtarcho, Alexandrinis Grammaticis, cum primariis car-

36) Inſeruit illud Anthologiae Gr. P. I. p. 147. variisque obſervationibus, in primis P. III. p. CXIX. *Einleit.* ornavit.

37) Ad ea, quae p. 29. ſcripſimus, cfr. HARLES ad Coluth. v. 298. SCHEFFLER in *Wideburg Hum. Magaz.* III. p. 305. Add. HOMII de LUCANO iudicium *Gr. d. Kritik.* P. I. p. 319.

38) v. STRABO XIV. p. 969. ed. Alm. Sed omnia de eo excuſſit HEYNII ſubtiliſſima doctrina, ad Virgil. To. II. p. 283. ſqq. exprompta. Add. *Bibl. d. a. Litterat.* II. p. 204. HARLES ad Fabricii B. Gr. I. p. 215. 590.

39) v. QUINCTILIAN. I. O. X. I. p. 894. ed. Burm.

Digitized by Google

carminibus epicis [39]) in canonem et cyclum epicum [40]) relatis. Quo ex opere qui fragmentum noſtrum deſumtum arbitrantur [41]), poterunt illi ſuſpicionem ſuam primum eo firmare, quod Piſander uno carmine tantum factorum fabularumque numerum complexus eſt, ut legis a criticis rogatae, et a praeſtantiſſimis poëtis ſervatae, ſibi gratiam faciens, argumenti unitatem et quamdam veluti contagionem per ſingulas partes dimanantem negligeret. Plus deinde huic ſententiae ex eo videtur roboris accedere, quod paſſim afferuntur e Piſandi Heraclea, quae cum carmine noſtro cenſentiant. Quamquam haec, ſi ſeverius penſitentur, fere eiusmodi ſunt, quae aut fallacem oſtendant ſimilitudinis ſpeciem, aut a variis poëtis, diſparibus ingenio, ſed mythorum, quos ſequerentur, ratione coniunctis, eodem modo narrari potuerint. Quid? quod occurrunt in his Piſandreis, quae a noſtro poëmate vehementer mihi videantur diſcrepare. Nam quod Scholiaſtes Germanici Arateor. Phaen. p. 114. Piſandro auctore refert, caedem leonis Nemei primam fuiſſe Herculis victoriam, per id egregie quidem reſpondet carminis verſui 204; ſed in hoc ita tradendo alii multi convenerunt, teſte Eratoſthene Cataſterism. 12. p. 4. Addit praeterea idem e Piſandro Scholiaſtes, leonem memoriae cauſſa aſtris honorifice fuiſſe

 illa-

40) v. PROCLI *Exc. ap. Phot. Cod.* 239. RUHNKEN. Hiſt. Crit. Oratt. p. XCIV.

41) Hanc ſententiam etiam PILENEIO p. 126. amplexus eſt, ita, ut VALKENARII ſimul rationem teneret. *L' idillio XXIV*, inquit, *e quello, che viengli appreſſo, per quanto pare, ſono frammenti di qualche lungo Poema eſponente la vita, e leazioni d' Ercole. 'E opinion d' alcuni non improbabile, che ſien eſſi lavoro di Piſandro Camirenſe autore della Eraclea, o ſia Erculeide.* HEYNIUS l. c. p. 287. ſic iudicat: *An carminis Piſandrei pars adhuc in idyllio inter Theocritea XXV ſervata ſit, uti non improbabilis eſt ſuſpicio, ita adverſus repugnantem probari nequit.*

illatum; cuius rei nullum exſtat in hoc carmine veſtigium Aliud huius opinionis praeſidium petitur e Strabone XV. p. 1009., qui Herculis illum habitum, quo pelle fingeretur leonina veſtitus clavaque armatus, Torianarum rerum memoria poſteriorem fuiſſe, narrat, *πλάσμα τῶν τὴν Ἡράκλειαν ποιησάντων, εἴτε Πείσανδρος ἦν, εἴτ' ἄλλός τις.* Dubitanter id quidem propoſuit Strabo, ita, ut de aliis quoque poëtis, qui carmina *Ἡρακλείας* nomine inſcripta edidere [42]), poſſit intelligi; ſed de Piſandro diſerte teſtatur Eratoſthenes c. 12. et Suidas To. III. p. 107., quorum ille leonis exuvias, hic *τὸ ῥόπαλον* Herculi Piſandreo attribuit. Iam vero utriusque rei in noſtro carmine tam perſpicua ſit, et clauae quidem tam copioſa mentio (v. 175. 207. coll. 63.), ut magnum inde firmamentum nanciſci iſta ſuſpicio videatur. At enimvero tanta fuit mythorum de Hercule propagatorum commixtio [43]), tanta etiam ſcriptorum in iis tractandis varietas, ut, quod de Piſandro memoriae prodidit Strabo, id Athenaeus [44]) de Steſichoro Himeraeo (Ol. 50.) affirmet, eum primum finxiſſe Herculem praedonis habitu indutum, clava, exuviis leoninis et arcu inſtructum, quum Xanthus, poëta antiquior, talem ei in carminibus ſuis amictum

42) Horum non parvus fuit numerus: in primis eminuere Panyasis (v. Fabric. I. p. 734) et Herodorus (v. Groddeck de H. Hom. p. 13. Villoison Prol. in Apollon. Lex. Hom. p. XIII. Add. Heyne ad Apollod. p. 326. 984. 991. Sed aboletis poëtis, qui Herculis facta celebrarunt, ſi Hesiodum excipias, ad unum omnibus, fortuna in iis nos voluit acquieſcere, quae varii poëtae in carminibus ſuis de Hercule obiter attigere. Superſtites praeterea. evaſerunt hymni quidam in Herculem, docte recenſiti in Bokttigeri Proluſ. ſuper Virg. Aen. VIII. 208 - 303. Guben. 1789. p. 20,

43) v. D. S. IV. 8 - 39. Pausan. V. p. 445. cfr. Heyne ad Apollod. p. 325. et Hermanni Mythol. II. p. 296.

44) XII. p. 512. cfr. Steischori fragm. ed. Suchfort. p. XXI.

Digitized by Google

ctum non tribuerit. Et quamvis conſentaneum videatur, in his ſequi STRABONEM, tum antiquitatis auctoritate ſuperiorem [45]), tum artis monumentis ſubnixum [46]): parum tamen

45) Quia parum probabile videtur, ſeriores demum poëtas iis Herculem inſtruxiſſe armis corporisque integumentis, quae aetati eius laboribusque congruerent: exſtitit nuper, qui Strabonis et Athenaei teſtimonia impugnare conaretur, FR. SCHLICHTEGROLL *üb. d. Schild d. Herkules* p. 137. aſſentiente HERMANNO, Mythol. II. p. 276. Temerarium eſt, quicquam hac in re dirimere velle. Illud tamen intelligo, poëtas in his tradendis mature iam diverſam eſſe rationem ſequutos. Tametſi enim Homerus Herculi non tribuit, niſi arcum et tela: fieri tamen non potuit, quin clavae et pellis uſum priſcis jam temporibus tum mythorum de Hercule traditorum ratio, tum antiquioris aevi conſuetudo (v. Schol. ad Apoll. Rh. I, 324. MEURS. ad Lycophr. p. 69.) inducerent. Quod ſi de Orphicorum hymnorum vetuſtate conſtaret: primum et clavae Herculeae (κλάδα, v. SALMAS. ad Capitol. Ant. c. 12. To. I. p. 279) veſtigium, et varietatis in deſcribendo illius habitu (αἰολόμορφος v. 3.) teſtimonium liceret in hymno XI. p. 202. Geſn. agnoſcere. Sed nondum mihi perſuaſit BOETTIGERUS l. c. p. 11., ut hymni illius auctorem Steſichoro antiquiorem haberem. Fuiſſe autem iisdem priſcis temporibus, qui Herculem elegantius armatum exhiberent, tum ex Heſiodi Aſpide patet, tum ex eorum SS. narrationibus concluditur, qui aut ipſa veterum poëtarum opera, aut antiquiorum mythographorum fidem ſequuti, talem Herculis veſtitum uberius deſcripſerunt. v. D. S. IV. p. 260. APOLLOD. II. p. 114. Hinc eadem in ſerioribus poëtis varietas. v. PINDAR. ol. IX, 45. Iſth. VI, 50. cf. VOSSIUS de Phyſ. Chriſt. p. 562. Invaleſcente paullatim cultiore Herculis habitu ac prope regnante in carminibus pëtarum, quum exorti eſſent, qui clavam et ſpolia leonis revocarent in memoriam aequalium, factum eſt, ut hi veteris mythi non inſtauratores perhiberentur, ſed auctores.

46) *τὰ δ' ἀρχαῖα ξόανα οὐχ οὕτω διεσκεύασται.* Sed in magna veterum operum, in primis anaglyphorum, copia, quae BEGERUS 1705. f. negligenti quadam diligentia congeſſit, Hercules non invenitur aere armatus, et dubitari variis de cauſſis poterat de hoc artificum ve-

inde proficiet illorum opinio. Nam, Hercules, qualem Piſander induxit, non *βάκτρον* habebat *εὐπαγὲς, αὐτόφλοιον, ἐπηρεφέος κοτίνοιο*, quod noſter ei cum aliis (v. Pauſan. Cor. XXXI, p. 185) tribuit, ſed clavam geſtabat aeneam; perſpicue id notante Schol. ad Apoll. Rhod. I. 1196. *εἰσανδρός Π φησιν, ὁλόχαλκον εἶναι τὸ ῥόπαλον Ἡρακλέους* [47]).

Arbitor me planum feciſſe diſputando, quot quantisque iſta ſententia difficultatibus prematur. Quod ſi praeterea lectorum animos revocemus vel ad orationis habitum, abhorrentem illum a Piſandri antiquitate, vel ad negligentiam poëtae in ſervandis aetatis heroicae moribus [48]): nemo erit, opinor, qui Piſandreae Heracleae fragmentum temere ſibi a nobis ereptum queratur.

Obiter commemorabimus Dawesii [49]) ſententiam, qui carmen vel a *Callimacho* ſcriptum conſebat, vel *a nebulone aliquo, graecae neque linguae nec proſodiae ſciente.* De Callimacho quod argumentum protulit, e verbi cuiusdam uſu petitum, id et leve eſt, et ab aliis jam repudiatum [50]): alterum vero iudicium ſi nimium

terum conatu, niſi veterum teſtimonia facerent fidem. v. Pausan. Lacon. p. 244. Plin. H. N. 34, 8. Add. Heyne *Antiq. Auff.* I. p. 18.

47) Similem rationem ſequutus videtur D. S. VI. p. 260. qui clavam Herculi donatam a *Vulcano* tradidit. Paullulum ab his diſcrepat Euripides Herc. F. 471. ad q. l. v. Musgrav. T. III. p. 601.

48) Nihil iſta talis negligentia auctoritatis detrahet de carmine Theocriteo, multum detrahet de eo, quod Piſandro tribuitur, praeſertim ſi reputes Pausan. Lac. III. 211. Itaque huc potiſſimum referam, quod ad v. 274. Harlesius monuit, heroica aetate aes, non ferrum, in uſu fuiſſe quotidiano.

49) Miſcell. Crit. p. 102.

50) v. Burgess. App. Annotat. p. 389, Ernesti ad Callim. p. 553. add. Wesseling. ad Herodot. p. 717.

Digitized by Google

nimium videbitur acrimoniae habere, quantum veritatis mitigatione leniatur, paullo inferius patebit.

Nunc enim quaerere liceat, an alia fortaſſis opinio, magnam illa et ſua quadam elegantia, et auctoris nomine, celebritatem adepta, fundamentis nitatur validioribus. Ea eſt Mansonis [51]), qui duo iſta Theocritea carmina, XXIV et XXV, una cum Moschi Megara reliquias eſſe iudicavit maioris cujusdam operis, a Moscho, bucolico poëta, elaborati. Quo propius enim et Moſchiani illius argumentum ad Herculem ſpectat, quoque major carminis pars temporis iniuria periit: eo viſum eſt viro docto credibilius, fuiſſe olim tria haec poëmatum fragmenta in unius operis incluſa quaſi compagibus. Ego vero ab huius ſuſpicionis ſocietate primum ſeiungendum reor id. XXIV, partim iis rationibus motus, quibus ſupra hoc carmen ab altero illo diverſum eſſe docui et Theocrito reddidi, partim novo hoc adiutus argumento, quod mores Alcmenae, in Moſchiano expreſſi, ab iis, quos Theocriti ei ingenium tribuit, aliquantum abhorrent. Excluſo hoc carmine, omnis huc redit diſputatio, primum, ut quaeratur, num Hercules *Λεοντοφόνος* et Megara unum arguant et auctorem, et opus; deinde num Moschi ingenio ſcribendique generi conveniant. Ut ab eo incipiam, quod ultimum dixi, quum in exiguo carminum, quae Moschi nomine inſcribuntur, numero tanta regnet argumentorum varietas, ut mirum non ſit, diverſam eſſe ſingulis veluti notam impreſſam; fieri non poteſt, quin omne hac de re iudicium vehementer vacillet. Neque igitur

Digitized by Google

factum eſt, ut VALKENARIUS carmen ab eo abiudicaret, et BRUNKIUS, ſublato doriſmo, ionicas formas revocaret. Verum haec, ut ut dubia videantur et incerta, nunc parum ad nos: illud diſpicere lubet, quod primo loco poſui, num inter utrumque carmen ea intercedat ſimilitudo, qua eiusdem et auctoris ingenium, et operis ſocietas agnoſcatur. Cui ſententiae ſicut magnam affert VALKENARII conſenſio auctoritatem: ita negari nequit, miram eſſe horum carminum conſpirationem, quum in vitiis, tum in virtutibus. Quamquam enim Megarae indoles in Moſchiano probabiliter a poëta efficta eſt, idoneisque ſermonibus expreſſa: tamen in Alcmenae oratione multa ſunt, quae non ſatis videantur conſtantiam illius a frigore vindicare. Nam quum eo ſe dediſſet infelix mulier, ut et ſolatio levaret aegritudinem filiae, et triſtitiae ſenſus, per Megarae querelas animis lectorum impertitos, blando foveret quaſi nutrimento. quis tandem aegro animo ferat, paſſim ab ea effundi, aliena tum ab exſpectatione, in quam filiae oratio (v. 1. 45.) lectores adduxerat, tum a temporum ratione et affectuum veritate 52)? Vere igitur hoc mihi videor repetiturus, quod de hoc carmine HARLESIUS (p. 264.) indicavit, elucere in ſingulis eius partibus veneres, modo denſius, modo rarius; ſed idem

52) Incommodi verſus 81-84., in quibus agnoſcere non poſſum *mulicbre* πάθος, etiam SCHWEBELIUM p. 193. male habuerunt. Ieiunitate eos ſuperant v. 66. 67., quorum hanc olim REIZIUS mihi emendationem indicavit: μάλα μέν γε φιλομμειδής κέ τις εἴη, ὅστις ἀριθμήσειεν, ἐφ' ἡμετέροις ἄχεσσιν. cf. BRUNKIUS ad Soph. To. I. p. 170. Quae conjectura licet eam felicitate ſuperet, quam noviſſimus Moſchi editor dedit; mihi tamen, ſi ſas eſt eam adhibere diſſenſionis modeſtiam, quam optimi, dum viveret, praeceptoris humanitas libenter ferebat, omnis, ſi qua eſt, quae non levis eſt, ieiunitatis culpa non librario, ſed poëtae tribuenda videtur.

Digitized by Google

idem illud loquacitatis nimiaeque ſubtilitatis vitio laborare, nunc paene tumere, nunc fere repere.

Quamvis autem ex hac ſimilitudine, quae inter tractationem illorum carminum intercedit, effici recte queat, ut eumdem utriusque auctorem agnoſcamus, ſive Moschus ille fuerit, ſeu potius alius quis: tamen ſi fragmenta haec coniuncta fuiſſe negem eiusdem operis communione, non verendum eſſe exiſtimo, ne quid aut Valkenarii iudicio, aut rei veritati videar detraxiſſe. Quando enim mythi rationes reſpicimus; Theocriteus Hercules longe eſt ab eo diverſus, quem auctor Megarae induxit. Ne illud urgeam, quod paratiorem forſan excuſationem inveniat in diverſis laborum generibus, Theocriteum clava, Moſchianum ligone et ſcaphula [35] (94. 101.) inſtructum exhiberi; hoc maxime memoratu dignum videtur, Megarae auctorem eos fuiſſe poëtas ſequutum, qui habitum Herculi affinxerant elegantiorem. Quippe Hercules eius non incedit, ut Theocriteus ille, leonis amictus ſpoliis, ſed heroum inſtar Homericorum cum χλαίνῃ et εὐμίτρῳ χιτῶνι (v. 98) inducitur. Idem iacula ſua (v. 13.) Apollini refert in acceptis. At Homerus arcum Herculi et tela tribuens (Il. ε, 393. Od. θ, 224), a quo iſta acceperit, nusquam commemorat; neque commemoravere, qui Homeri ſimpliciſſimam rationem tenuerunt, Theocritus XIII, 56. et auctor Herculis Λεοντοφόνȣ v. 265. Vnde igitur noſter id duxit? Is nimirum hac in re plane conſentit cum Diodoro et Apollodoro, qui eumdem latius perſequuti mythum, quemque deorum Herculi ſuorum quiddam ſibique propriorum munerum, nomina-

tim tela Apollinem, impertiſſe narrarunt. Hos autem ſcriptores ſupra (p. 37) vidimus eorum inſtitiſſe veſtigiis, qui Herculem cultioribus veſtimentis indutum, ferroque et aere armatum exhibuiſſent. Etſi vero ſingulorum poëtarum graecorum arbitrium variandi habitus, quem Herculi tribuerent, libidinem induxerat; huius tamen omnes appetentiſſimi laudis fuerunt, ut quam in quoque carmine praeoptaviſſent rationem, in ea ſervanda ſibimetipſi conſtarent. Quocirca non credibile eſt, noſtrum tanto ſe inconſtantiae crimine obſtrinxiſſe, ut diverſum in eodem carmine mythum ſequeretur, Herculem nunc ſic, nunc aliter introducendo.

Dubitantibus igitur nobis de Manſonianae ſuſpicionis veritate, anquirentibusque alium carminis auctorem peropportune ſubvenit Beckii noſtri, praeceptoris amantiſſimi, acumen, qui *Rhapſodo* illud *Alexandrino* tribuendum exiſtimaret. In quo quam vere ille, etiam quam ſubtiliter iudicaverit, quamquam ex iis ſatis arbitror liquere, quae de tractatione omni, fabulae hiſtoriaeque antiquae expromendae ſedulitate, Homericae ſimplicitatis magis quam artis affectatione, illiberali denique verſus Homericos imitandi ſtudio monita ſunt [54]): tamen quo magis omnis animis eximatur dubitatio, novis eam ſententiam argumentis, e linguae ingenio petitis, ſuffulcire conabor. Quemadmodum enim Alexandrinos conſtat linguae graecae quemdam affudiſſe peregrinitatis colorem, invectis in eam vocabulis, quae vel compoſitione ſua, vel ſignificatione, vel aliis modis a priſca elegantia abhorrerent: ita noſtro quoque poëtae vitia multa

54) cfr. Heyne Opp. Acad. I. p. 79. Caeterum praemittenda haec erant et uberius declaranda, ne, quae ex linguae ratione argumenta ſubieci, in Theocriteo carmine ſpernerentur. v. p. 23. Nunc collectis omnibus, quae dixi, non metuo, ne quis noſtra in nos tela retorqueat.

Digitized by Google

multa affricuit aetatis ſuae prave loquentis conſuetudo. Ut ea mittam vocabula, quae nec a Theocrito usquam adhibita, nec ab aliis hac poteſtate uſurpata, in hoc carmen irrepſerunt (ζαχρεῖος v. 6. cf. Eurip. Herc. F. 51. 1335. ἀρρηνές v. 83 coll. Heſych. I. p. 553) quis quaeſo graece ſciens ὡσεί περ (v. 163) poſuit pro ſimplici ὡς? Eſt id iam a Dawesio (M. Cr. p. 102) notatum, non ſatis probabiliter neque defenſum, neque correctum ab editore eius, Burgessio p. 389. Quamquam Brunkium quoque video peccati culpam in librarios tranſtuliſſe, improbante Valkenario, qui Dawesio acceſſit. Pariter dubito, an ea vocabuli ὁλοσχερές notio, quam poëta v. 210 adhibuit, aliis poſſit quam Alexandrinae verſionis V. T. exemplis firmari. Diverſa eſt ratio apud Diodorum (To. I. p. 346. 428), qui et ipſe nonnunquam a pura graecitate deflexit. Add. Gatacker ad Antonin. p. 8. Aliud depravatae dictionis exemplum reperio in compoſitione adverbiorum quorumdam temporis cum praepoſitionibus (εἰς ἅλις v. 17. συνάμα v. 126); quam a Grammaticis graviter damnatam, Alexandrina dialectus adſcivit. v. Valken. ad Theocr. dec. eidyll. p. 163., inprimis Sturz de Dial. Alexandr. II. p. 19. Rem denique conficiunt pronomina σφέτερος et σφωΐτερος, de quorum uſu, a multis parum diligenter vel excuſſo, vel declarato, ſpeciminis grammatici loco quaedam ſubiungam. Fuit autem, ſi antiquiſſimorum ſcriptorum auctoritatem ſequimur, pron. σφέτερος tertiae perſonae, quod Atticorum tantum lingua de pluribus (v. Thom. Mag. p. 827. ibique Oudend.), communis ſermo etiam de uno frequentabat. Nam quod Schol. ad Apollon. Rh. III. 302. 622. adhiberi illud negavit de poſſeſſione unius, ideoque

Digitized by Google

H. in Del. 233. Brunkio denique ad Aeſch. Prom. 9. congeſta. Sed noſtri carminis auctor v. 163 pronomen illud ad primam perſonam tranſtulit. Quam loquendi rationem vellem Burgessius maiore quadam, quam Guil. Canteri (in Gruteri Face Cr. III. p. 627. cfr. Rvhnk. Ep. Crit. p. 178) auctoritate ab inſolentiae ſuſpicione vindicaſſet. Equidem excuſſis, quum veterum ſcriptis, tum Grammaticorum iudiciis (v. Euſtath. ad Od. α, 7. p. 1383. 31. Auct. libelli περί σολοικίας p. 201 ed. Valck.), affirmo, Alexandrinos demum poëtas deſeruiſſe priſcam et probam loquendi rationem, uſu pronominis ad alias perſonas deflexo. Nemo obiiciet Hesiodi verſum in Ἔργοις ſecundum, niſi ſi quis forte illius prooemii origenem ignorarit; nec defendendi iſtius uſus praeſidium petet e Theocrit. XX, 67, ubi hoc quoque carmen Alexandrino verſificatori tribuendum cognorit. Alexandrinus autem Argonauticorum ſcriptor modo retinuit genuinam vocabuli poteſtatem (I. 167. II. 1042. III. 302), modo ad primam et ſecundam pluralis numeri perſonam (IV. 1353. 1327) traduxit. Sed qui pro ἐμός pronomen illud poſuerit, praeter noſtri carminis imperitum conditorem novi neminem.

Non minor fuit Alexandrinorum levitas in uſu pron. σφωΐτερος, quod deductum a duali pronominis ſecundae perſonae (v. Etymol. M. p. 314. 22) apud probatos ſcriptores una hac notione occurrit: *Veſter duorum.* Quod enim Etymologus p. 739. 18. σφωΐτερον, notavit, παρ' Ὁμήρῳ ἀντὶ τοῦ σόν, δυϊκὴ ἀντωνυμία ἀντὶ ἑνικῆς, in errorem ille inductus eſt Homerico loco Il. 1, 216, cuius ſenſum aperuit Brunkius ad Apoll. p. 29. Verum Alexandrini poëtae, inprimis Apollonius (1, 643. II, 467. III, 335.) inſolentius frequentarunt pronomen de tertia ſingularis numeri perſona. Qui uſus, a noſtro quoque v. 55. adoptatus, quantum olim offenſionis habuerit, abunde declarant Grammaticorum ad iſta Apollonii loca admonitiones,

tiones, ad quas refellendas quae more ſuo Hoelzlinus p. 233 attulit, ea, ut leniter dicam, ſatius erat omitti.

Quid igitur? annon quae exploratis omnibus hactenus per partes explicavimus, animum impellunt, ut carmen ab Alexandrino poëta confectum ac Theocriteis temere inſertum iudicemus? Quod ſi genuinum eſt id. XXIV, quod vindicare Theocrito conati ſumus, apparet, noſtrum ei tanto facilius potuiſſe adiungi, quanto maiorem habere argumenti cognationem videretur.

Reſtabat, ut de Encomio in Ptolemaeum, quod Callimachiorum hymnorum tenuitatem aequat, ieiunitatem ſuperat, de Dioscuris, hymno e pluribus, ut mihi videtur, carminum particulis ab Alexandrino Rhapſodo inepte conſuto, de Bucolisco et Oaristye, ab ingenioſiore Theocriti imitatore compoſitis, de Bacchis denique, mira illa ac paene ridicula comicotragoedia, quae omnes animi nervos ſimul intendens, Grammatici ieiuna ſtudia arguit, eodem modo diſſereremus; deinde etiam explicaremus, qua ratione tot, tam diverſi generis et argumenti, carmina in unum hoc Theocriteorum idylliorum corpus ab Alexandrino, uti probabile nobis eſt, Grammatico potuerint conflari. Sed quia ſuperior illa diſputatio longius nos provexit, quam putaramus; abſtinendum eſt ab harum rerum pertractatione, quarum expromendarum alius fortaſſis erit locus, aliud tempus.

Digitized by Google

ERRATA.

Pag. 5. v. 26. poſt *Gegenſtandsdarſtellung* interpungendum,
— 8. v. 28. leg. *vetuſtate.*
— 11. v. 21. pro *quum* leg. *quemadmodum.*
— 13. v. 9. pro *acceſſibus* leg. *receſſibus.*
— 14. v. 7. pro *dubio* leg. *dubie.*
— 16. n. v. 10. pro *ſoſe and claithful* leg. *ſo cloſe and faithful*
— 20. v. 2. pro *claribus* leg. *coloribus.*
— 22. v. 17. pro *Praxinoes* leg. *Arſinoes*
— 23. v. 4. pro *Ab ea* leg. *ab eis*
— 28. v. 2. leg. *illius.*
— 29. v. 8. poſt *ſermocinatio* exciderunt haec: *ſeverioribus judicibus.*
— 36. n. 44. v. 1. leg. STESICHORI,
— 38. v. 5. leg. πεισανδρός φησιν.
— 40. v. 16. pro *aegro* leg. *aequo,*
— 41. v. 18. leg. Χλαίνῃ.

VA1
1528846

Digitized by Google